

I. H. SCHMINCKII
DISSERTATIO HISTORICA
DE
CULTU RELIGIOSO
ARBORIS
JOVIS
præsertim in
HASSIA.

~~Quam~~
~~D. O. M. A.~~
~~EX AUCTORITATE~~
~~Amplissimæ Facultatis Philosophicæ,~~
~~PRÆSIDE~~
~~Clavisimo atque Doctissimo~~
DN. I. H. SCHMINCKIO,
Hist. Civil. & Eloqu. Profess. Ordin.
Patrono ac Praeceptore suo maxime Colendo,
IN ACROATERIO PHILOSOPHICO
Ad d. Mai. Ann. M DCCXIV.
Pro summis in *PHILOSOPHIA* honoribus
ventilandam proponit
JOH. WILHELMUS Schönsfeldus
Neukircha Hassus.

~~MARBVRGI CATTORVM,~~
~~Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typogr. 9~~

60, 28

H. Germ. Geogr. et Anzg. 79 (26)

Pl. Reverendo, Clarissimo, nec non Doctissimo

DOMINO,

M. JOHAN. ADAMO Schönsfeldt/

Civitatis Neukirchenfis Pastori primario, ejus-
demque Classis Metropolitano dignissimo.

Pl. Reverendo, Clarissimo, nec non Doctissimo

DOMINO,

M. JOH. HENRICO Schönsfeldt/

Civitatis Lippiacæ Blumenbergensis Pastori
Primario Vigilantissimo,

Pl. Reverendo, nec non Doctissimo Domino,

DN. JOH. WILHELMO Schönsfeldt/

Pastori Iminichenhainenfum & Hattendorf-
fum Vigilantissimo, atque Classis Neukirchenfis
Seniori gravissimo,

Pereximio atque Doctissimo Domino,

DN. JOHAN. ADAMO Schönsfeldt/

Gregorii, olim Civit. Franckenberg. Consulis &
Physici Ordin. Filio legitimo, Philosoph. Doctorando solertis-
simo atque dignissimo, & S.S. Theol. Candidato.

*Patri, Patruis atque Patrueli
honoratissimis & dilectissimis*

*Disputationem hanc Inauguralem obsequiosissi-
mè & officiosissimè offert*

Johannes Wilhelmus Schönsfeldt.



DISSE
*RAT*ATIO *HISTORICA*
De
RELIGIOSO QUERCUS
CULTU,

*in qua inter alia in locum inquiritur, ubi olim in
HASSIA hæc sacra arbor steterit.*

§. I.

SImplicitissimum olim, atque ab omni fere *Germani* luxu alienum in *Germania* nostra obtinuisse Deorum cultum, norunt etiam ii, qui primis, ut ajunt, labris Majorum res gestas delibarunt. Nec id mirum: cum enim antiquissimis temporibus nondum omnis veri Dei notitia ex hominum animis excidisset, longe saniores de Deo, cultuque divino quam posteros, fovisse sententias deprehendimus, qui, quo magis a primo ævo remoti, eo magis etiam a priore religione aberrarunt. Ex hac autem, licet exigua, veri Dei cognitione originem suam habuisse mihi videtur, quod Germani nostri nulla olim Deorum simulacra effinxerint, nec templa erexerint, cum Deos immortales *in uilam humani oris speciem assimilare, vel eos parietibus exhibere*, summum nefas putarent, ut recte monet *Tacitus* noster de M. G. c. 9.

A 2

§. II. Etsi

Luci tem- plorum in- star erant. Etsi vero nulla olim Majores nostri admitterent simula- lacra (de antiquis temporibus loquor, nam in recentioribus res aliter sese habet) nec templa exstruerent, non tamen putandum, eos ab omni Deorum cultu fuisse alienos; ha- bebant enim loca Diis suis consecrata, ad quæ religionis causa convenire solebant, *lucus* videlicet, atq; *nemora sacra*, quæ apud omnes fere gentes, cum morum simplicitas ad- huc obtineret, nullusque ineptus luxus mortalium animos ob sedisset, *templorum instar erant*, ut cum Plinio loquar lib. XII. H. N. cap. 1. Ea si quidem plurimorum, si non omnium tum temporis populorum opinio fuisse videtur, silvas densissimas vetustis procerisque arboribus consitas inhabitare Numinia. De Romanis, a quibus hoc in nego- tio non discrepasse Germanos, innumeri apud eos luci fi- dem faciunt, id passim testantur scriptores. Sic de luco sub Aventino canit Ovid. lib. III. Fast. v. 295.

*Lucis Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo posses viso dicere Numen ineſt.*

Hunc locum egregie illustrat Seneca Epist. 41. *Si tibi*, ait, *occurrit vetustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas silvae & secretum loci, & admiratio umbræ fidem Numinis facit.* Hujus sententiæ ori- go atque causa forte non temere ex depravata Patrum tra- ditione derivari potest, quæ quantis mutationibus & cor- ruptionibus semper obnoxia fuerit, nemo paulo huma- nior est, qui ignoret; fando enim audiverant, Patresque filii tradiderant, Deum saepe numero suis Majoribus ap- paruisse sub opacis arboribus, sacrificiaque sub earum um- bra frequenter ei oblata fuisse, unde ignorantes veram hujus rei causam, magisque à Veri Dei notitia aberrantes, subito in illam prolapsi videntur sententiam, divinitatis quicquam

quicquam inesse arboribus, cur sub harum umbra potius
prisci mortales, quam aliis in locis Deo O. M. immolare,
cultumque divinum exhibere voluerint. Hinc nulla ferè
gens, quæ non maxime Arbores venerata fuerit, & sub
iis sacra fecerit, ut recte moneat Hieronymus, *hunc gen-*
tilitatis errorem omnes provincias occupasse, ut ad capita
fontium, lucosque amoenissimos victimas immolarent.

§. III.

Habuisse vero Germanos *lucos atque nemora sacra*, *Germani*
in quibus Deos suos colerent, ex Cornelio discimus, cum
de Moribus Germanorum cap. 9. ita hanc rem describit:
Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus ap-
pellant secretum illud, quod sola reverentia vident. Præterea
etiam varios Germaniæ populos enarrat, quibus luci cele-
berrimi fuerunt. Suevi Semnones habebant *silvam auguriis*
patrum & prisca formidine sacram, vid. cap. 39. de M. G.
In Insula Oceani, quam Rugiam esse conjicit Cluverius,
celebrabatur *castum nemus Hertha* i.e. Terræ matri conse-
cratum, cap. 40. d l. Apud Naharvalos conspiciebatur *anti-*
que religionis lucus teste eodem Tacito c. 43. de M. G.
Ut nunc non memorem *lucum Baduhennæ* in Frisiis, *sa-*
crum nemus Belgarum, in quod sub specie epularum Pro-
ceres gentis evocabat Civilis, cum contra Romanos arma
sua converteret. In *silva Hercynia lucos vetusta religione*
truces suo tempore fuisse, canit Claudianus lib. I de Laud.
Stil. ¶. 227. Saxones plurimos in patria sua habebant lu-
cos, quos demum Carolus M. extirpavit, ut ex Capitula-
ribus ejus novimus. In Episcopatu Bremensi Sec. XI.
lucos excidit Unwanus ArchiEpiscopus, teste Adamo
Bremensi lib. II. Hist. Eccles. c. 86. confer. etiam Vita
Meinwerci p. 524. edit. Leibnit. Ipsi etiam Sclavi a more
illo omnibus fere gentibus communi non fuerunt alieni,

nam in luco admodum celebri colebant Deum *Zutibure*, quem evertit Wigbertus Episcopus Merseburgensis narrante Ditmaro lib. VI. Aldenburgeses Deo suo *Prove* in luco religiosum exhibebant cultum, ut ex Helmoldo constat. Plures alios in partes vocarem, nisi ex his pateret, nullam fere Germaniae gentem vel pagum fuisse, qui non proprios habuerit lucos Diis suis consecratos, & quo illi antiquiores, eo nobiliores erant, unde & veteres luci *pagorum gloria* vocantur ab Ausonio in Mosella, cum v. 478. ita canit:

Te Veteres pagorum gloria luci, scil. colent.
§. IV.

*Lucus quid
sit, & unde
dictus.*

Erat autem locus nemus Diis consecratum, innumeris arboribus constitutum, & ob religionem incædium, in quo sub umbrosis arborum frondibus Diis immolabant, votaque nuncupabant Veteres, uti ex sequentibus certius constabit. Unde nomen suum acceperit, mire nugantur Grammatici antiqui. Sosipater Charisius lib. IV. Instit. Grammat. & Diomed. lib. II. Capp. de Antiphraſi, ita dictum putant per antiphraſin, *quasi minime in eo luceat*, ob densas & proceras arbores, ramosque innumeros multa fronde vestitos. Cum his faciunt Servius ad Virgil. I. Aen. v. 445. Isidor. Etymol. XIV. 8. & XVII. 6. imo ipse Quintilianus doctissimus alioquin Grammaticus lib. I.c. 6. Instit. Orat. Sed inepta hæc esse, quis non videt. Nomen suum potius accepit locus à *lucendo*, quod *maxime in eo luceat* propter lumina, quæ in illo ob religionem cultum accenduntur, ignesque ad sacrificia concremandam in aris perpetuos, quam sententiam Vett. nonnullorum Grammaticorum nobis conservavit Isidorus lib. XIV. Etymol. c. 8. cum absurdæ priori sententiæ subjungit: *Poteſt & a collucendo crebris luminibus diei, qua ibi propter religionem genti-*

gentilium cultumque siebant. Vide Celeb. Perizonium, quondam Praeceptorem Nostrum omni officio Venerandum, ad Sanctii Minerv. lib. IV. c. 16. ubi pluribus verum hujus vocis etymon erudit, uti omnia, adstruit.

§. V.

Constabant vero hi luci, vel sponte enati, vel arte *Ex quibus arboribus constituerint.* excitati, ex variis generis arboribus. Romanorum & Græcorum in lucis erant Fagi, Cupressi, Taxi, Fraxini, Abies, Alni, Ulmi &c. ut pluribus probavit doctissimus Eschenbachius in dissertatione de *Consecratis gentium lucis* §. 4. Eminebat tamen inter illas arbores, principemque locum obtinebat *Quercus* arbor in omnibus fere terris frequens, quæ suæ naturæ dotibus ceteras pene omnes longe antecellit; sive enim ætatem ejus, sive duritiam, sive proceritatem, sive amplitudinem, sive innumeros ramos multa fronde vestitos, gratissimamque ejus umbram spectemus, eam jure merito aliis prælatam fuisse deprehendemus. Hinc ipsa Diana in Silvis Arcadicis ex innumeris aliis arboribus *quercum* præsertim sibi elegerat, *numenque colendum fecerat*, ut Papinius lib. IX. Thebaid. testatur. Plura in laudem hujus arboris congesit diligentissimus la Cerdia ad Virgil. II. Georg. v. 291. cum quo conferatur Paschalius de coronis lib. VII. c. 13. qui præcipue multis docuit, Veteres in ea fuisse sententia ad *quercus* præclara & insignia Majorum facta plerumque accidisse, ita ut huic arbori divinitatis quicquam inesse sibi quam certissime persuaderent, *nam nulli arbori crebrius sacrum aut divinum aliquid adscribitur quam quercui*, ut optime ad Papini Libr. IX Thebaid. v. 586. monet Vetus Scholiastes. Hinc est, quod olim fabulosa antiquitas finxerit ex hac arbore Jovem oracula edidisse in Dodone, urbe Pelasgica, ut ex Homero

Homero discimus, qui Odyss. T. V. 296. hujus rei mentionem facit:

Tὸν δὲ ἐς Δωδώνην Φάτω βίμεναι, ὅπερα θεοῖ,
Ἐκ δρυὸς υψηλόμοιο Διὸς βαλῆν ἵπακθση.

*Idsum autem in Dodonem dicebat ivisse, ut Dei
Ex quercu alta Jovis consilium audiret.*

Confer. Virgil. II. Georg. V. 16. qui *quercus* Græcis oracula fuisse tradit, ubi plura de hac Vett. opinione la Cerda collegit.

§. VI.

*Quercus
præ aliis &
Germanis
in lucis suis
colebatur.*

Haud alieni ab hac sententia fuerunt Germani nostri, apud quos *Quercus* præ reliquis celeberrima erat, maximeque in lucis colebatur; eodem plane modo, uti de Lithuanis narrat Æneas Sylvius, qui licet lucos habuerint varii generis arboribus exornatos, tamen *quercum* *vetustissimam*, *potissimam* *Dei* *sedem* esse putabant, ac proin illam majori quam alias religione prosequebantur. Celtæ, sub quorum nomine sæpiissime latere & Germanos, multis probavit Cluverius, *quercum* pro simulacro Jovis habebant, & in ea hunc Deum colebant, ut ex Maximo Tyrio discimus, cum Dissert. 38. ita hanc rem tradit: Κελτοὶ σεβότι μὲν Δια, ἄγαλμα δὲ Διὸς: Κελτοὶ υψηλὴν δρῦν. *Jovem* *Celtæ* *colunt*, *Jovis* autem apud eos simulacrum *alta quercus* est. Hinc Galli maxime tales lucos elgebant, qui quercubus consiti essent, cum hac arbore Druidis ipsorum nihil esset sacratus, ut etiam nulla sacra sine ejus fronde conficerent, teste Plinio Libr. XVI H.N. c. 44. Dein, de ipsis Germanis canit Claudianus lib. I. de Laud. Stilic. V. 223. quod in silvis Hercyniis (quæ erant Germaniæ) robora (species *quercus* sunt) Numinis instar coluerint

Lucosque vetusta

*Religione truces & ROBORA Numinis instar
Barbarici.*

la

In hac autem silva quercus erant tantæ magnitudinis atque vetustatis, ut mundo congenitæ putarentur, narrante id Plinio Lib. XVI. H. N. c. 2. Accedit & Helmoldus, qui Lib. I. Hist. Sclav. c. 83. inter vetustissimas sacras arbores *quercus* præsertim memorat. Quibus si addatur Willibaldus in Vita Bonifacii, qui *quercum* præcipuæ magnitudinis ab Hassis cultam tradit, nullum supererit dubium, eximiam de hac arbore fuisse Vett. Germanorum opinionem.

§. VII.

Lucos vero maxime nobilitabant arbores vetustæ, *In lucis eliatque quercus crassitie & proceritate præcellentes*, ut ex gendis *Quintiliano notum*, qui lib. X. cap. 1. Instit. Crat. de Ennione ita disputat: *Ennum, sicut sacros vetustate lucos, adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem.* Sic in luco Cereris *rum atque erat ingens quercus*, quam Ovidius describit lib. VIII. procerarū. Met. v. 741.

*Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur, & lucos ferro temerasse vetustos
Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus.*

Hæc autem quercus XV. ulnas implebat, ut l. c. Ovidius tradit. Dein & ratio maxime habebatur ramorum densitatis, ut

Densa prænubilus arbore lacus
esset, & gratissima redderetur umbra, qualem præprimis spargebat quercus, ut tum rerum usus, tum inter alios innumerous Silius Italicus docet de Bello Punico lib. XVI. v. 587.

*Tum subitæ frondes celsaque cacumine rami,
Et latam spargens quercus dum nascitur umbram,*

B

siqui-

siquidem hæc arbor

*Diffusas patulo laxabat stipite frondes,
Umbrabatque coma summi fastigia montis,
ut hac ratione impervius esset solis radiis, ob quod lu-
cum maxime deprædicat Statius IV. Theb. v. 419.*

*Silva capax avi validaque incurva senecta,
Æternum intonæ frondis stat pervia nullis
Solibus.*

Nihil squidem divinus, nihil augustius in lucis æstimabatur, quam maxima opacitas, summæque tenebræ, nam σεμνότητα ἔχει σκότος, augustum quid & venerabile habent tenebrae; quam ob rem opacitatem illam atque umbram in lucis Papinius vocat sanctas tenebras Lib. IV. Theb. v. 427. Eandem fere cum Romanis & Germanos nostros hoc in negotio fovisse sententiam, plane nullum dubium est, cum eadem ratio apud utramque gentem obtinuerit; etsi forte in nonnullis minimi prorsus momenti, quæ salva re abesse possunt, nullumque inferunt discrimen, discreparint.

§. IIX.

Ad lucos Cum itaque tam sacri essent luci apud omnes fere non omnigenites, id summo studio egerunt, ne quibusvis introeunbus patebat di daretur licentia, cum profanorum accessu pollui sacra aditus. illa loca certissime crederent. Hujus moris vestigia egregie nobis conservavit Helmoldus Lib. I. c. 84. ubi lucum Deo Prone consecratum ita describit: *Accidit autem, ut in transitu veniremus in nemus, quod unicum est in terra illa, tota enim in planitiem sternitur. Illuc inter vetustissimas arbores vidimus sacras quercus, quæ dicatae fuerant Deo terra illius Proven, quas ambiebat atrium, & sèpes accurasier lignis constructa, continens duas portas. Ingressus atrij omnibus inhibitus, nisi Sacerdoti tantum, & sacrificare volentibus, vel quos mortis urgebat periculum, his enim minime negabatur*

negabatur asylum. Tantam enim sacris suis Sclavi exhibent reverentiam, ut ambitum fani nec in hostibus sanguine pollui sinant. Pruzi, quorum mores hac in re non longe abeunt a Germanorum, Sclavorumque consuetudinibus, neminem Christianorum ad lucos suos admittebant, cum illorum accessu illos profanari certissime sibi persuaderent, teste Adamo Bremensi de Situ Daniæ. c. 77.

§. IX.

Nec id mirum, nam in tanta veneratione hæc nemora *Arborem* sacra erant, ut *nec ramum*, *nec surculum amputare* in iis *in lucis lā-*
quisquam auderet; cuius religionis vestigia deprehendun-*dere, imone*
tur in Concilio Nannetensi apud Reginon. de disci-*surculum*
plina Ecclesiastica lib. II. §. 359. Omnia quippe ani-*qui dem*
mos hæc occupaverat sententia, secures redire in cæ-*amputare*
dentium membra, suamque injuriam gravissime vindica-*crede bāre*
re Deos, quibus hæc arbores sacræ erant. Discimus id ex *enim omnes*,
Lucano, cum lib. III. §. 429. depingit Romanorum mi-*secures re-*
litum pavorem, quem conceperant ex mandato Cæsaris *dire in cæ-*
de exstirpando luco Massiliensi: *dentium*
membra.

*Sed fortes (ait) tremuere manus, motique verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant reddituras membra secures.*

Nec ausi fuissent Cæsar's mandata exequi, nisi ipse quer-
cum excidisset, suoque exemplo se illæsum id suscepisse
negotium monstrasset. Ad hunc morem etiam respicit
Claudianus in descriptione lucorum Germaniæ in Silvis
Hercyniis, cum viatorias Siliconis lib. I. de Laud. ejus
§. 227. mirum in modum depraedat, quasi ab illo omnis
Germania ita devicta,

*Ut procul Hercyniæ per vasta silentia Silva
venari tuo liceat, lucosque vetusta*

*Relligione truces & robora Numinis instar,
Barbarici nostræ feriant impune bipennes.*

Hoc a. Stilico haud impune aggressus fuisset, nisi Germani debellati viribus ejus cessissent, cum nulla gens magis irritetur, quam si sacra avita temerentur ac profanentur. Hæc de Sanctitate arborum, gravissimaque in lædentes se vindicta, opinio, diu admodum in paganorum animis hæsit, nam cum anno 1490. Uladislaus Lithuanorum Dux in Ducatu suo lucos sacros exscinderet, maxime stupebant Lithuaniae, quod Polonorum milites nemus eorum excidentes nulla laeso, qualem ipsi in se frequentius experti erant, sequeretur, teste Michovio Cap. 2. de Sarmatia Europæa. Idem de Lithuaniae, alia quamvis occasione & tempore ex teste oculato Hieronymo Pragensi narrat Aeneas Sylvius de Europa c. 26. cuius verba cum inter alia mire lucorum structuram illustrent, adscribere operæ pretium duxi: *Postremo inquit, alios populos adiit, qui Silvas demonibus consecratas venerabantur, & inter alias unam cultu digniorem putavere. Prædicavit huic genti pluribus diebus fidei nostræ aperiens sacramenta. Denique ut Silvam succideret, imperavit, ubi populus cum securibus affuit, nemo erat, qui sacrum lignum ferro contingere auderet. Prior itaque Hieronymus assumta bipenni excellentem quandam arborem detruncavit. Tum secuta multitudo alacri certamine, alii serris, alii dolabris, alii securibus silvam dejiciebant. Ventum erat ad medium nemoris, ubi quercum vetustissimam, & ante omnes arbores religione sacram, & quam potissimum Dei sedem esse putabant, percutere aliquamdiu nullus præsumpsit. Postremo, ut est alter altero audacter, increpans quidam socios, qui lignum rem insensatam percutere formidarent, elevata bipenni magno iectu cum arborem cedere arbitraretur, tibiam suam percussit, atque in terram*

terram semianimis cecidit. Attonita circum turba flere, conqueri, Hieronymum accusare (cœpit) qui sacram Dei domum violari suassisset, neque jam quisquam erat, qui ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus, illusiones dæmonum esse affirmans, quæ deceptæ plebis oculos fascinarent, surgere, quem cecidisse vulneratum diximus, imperavit, & nulla in parte lœsum ostendit, & mox ad arborem adacto ferro adjuvante multitudine ingens onus cum magno frago-
re prostravit, totumque nemus succidit. Hujus illusionis dæmonum, si fabula vera est, exemplum nobis suppeditat Loccenius in Antiqq. Sueo-Gothicis lib. I. c. 3. ubi suo tempore accidisse narrat in Sudermannia, quod rusticus, cum in usus domesticos juniperum vetustam in plano amœno & rotundo loco diversis arboribus cinctam cædere voluisset, a cœpto deterritus fuerit audita voce: *Noli cædere Juniperum.* Ille rusticum aliquem per jocum hæc verba pronunciare existimans, undique circumspexit, & cum neminem adesse deprehenderet, rediit ad succiden-
dum hanc arborem. Sed vix securim elevarat, quin sta-
tim audiit quendam majori conatu clamantem: *Edico tibi, ne cædas juniperum.* His verbis deterritus ab hac ar-
bore cædenda supersedit.

f. X.

In his itaque sacris lucis Vett. Diis suis sacrificia offe- *In lucis of-
rebant, quæ ex pecudibus & hominibus constitisse, omnes fere bant
norunt. Sueones ex omni animante IX. capita immola-
bant diis suis, teste Adamo Bremensi de Situ Daniæ &
Reliq. Sept. Region. c. 94. quorum sanguine eos placati
sibi persuadebant. Non autem semper hostias illas con-
cremabant, sed sæpe numero in lucis ad arbores suspen-
debant, quæ ex morte vel cibo (al. tabo) immolatorum
divina credebantur. Sic canes & equos mixtim cum ho-*

B 3

minibus

*sacrificia
pecuina &
humana.*

minibus ad arbores suspensos fuisse, ex teste oculato se cognovisse tradit Adamus Bremensis l. c. ubi Vetus Schol. notat per IX. dies sacrificia & commessationes factas, & unaquaque die unum hominem cum ceteris animantibus oblatum fuisse. Canes & equos immolatos fuisse Diis a Sueonibus, ex Adamo notavimus, quanquam in vulgatis editionibus de equis nihil legatur, corruptus enim sine dubio hujus scriptoris locus, qui ita vulgo circumfertur: *Ibi etiam canes, qui pendent cum hominibus, quorum corpora mixtum suspensa.* Conjeciebam ante nonnullos annos legendū hic esse: *Ibi etiam canes & equi pendent, præsertim, cum* Ditmarus, scriptor inter Germanos celeberrimus, narrat Normannos, Danos, reliquosque Septentrionales populos IX. *homines, & totidem equos cum canibus immolasse.* Quam conjecturam certissimam esse, me nuper docuit Bartholomus in Antiqu. suis Dænicis lib. II. c. 1. ubi hanc lectionem ex antiquissimo Ms. Adami profert. Præcipua verò sacrificia erant apud Germanos humana, quæ jam ab antiquissimis temporibus in his regionibus recepta fuerunt, nam Tacitus de M. G. c. 9. narrat, quod Mercurio *humani hostiis* litarint, ubi vid. Lips. Catti & Hermunduri, cum implicati essent mutuo bello, Marti & Mercurio diversam aciem sacrabant, *quo voto viri occidione* dabantur. Seminoles in lucis publice hominem immolabant. Imo Saxones ab impiο hoc more non erant alieni, ut severam legem ideo promulgare coactus fuerit Carolus M. quæ hodie in Capitulatione de Partibus Saxoniz §. 9 reperitur, ubi ita ait Legislator: *Si quis hominem diabolo sacrificaverit, & in hostium more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.* Patet idem ex Gallorum moribus, quorum in luco Massiliensi erat

Omnis & humanis lustrata cruoribus arbos.

Vid.

Vid. Lucan. lib. III. de B.C. v. 405. Hæc autem sors præcipue manebat captivos, tam in antiquo, quam medio ævo. De Antiquis Germanis id tradit Tacitus Lib. I. Annal. c. 61. quod scil. ad aras lucorum *mactaverint tribunos, ac primorum ordinum centuriones*, quos in clade Variana ceperant. Martis victimæ apud Gothos erant mortes captorum, ut monet Jornandes. Sclavi Deo suo Radigast Christianos captos in titulum victoriæ immolabant vid. Adam. Brem. lib. IV. H. E. cap. 168. quod præsertim Johanni Episcopo Mecklenburgensi accidisse memorat Anonymus Auctor Chronicorum Sclavici apud Lindenbrog. c. 14.

§. XI.

Nec hic subsistebat paganorum superstitione, accende. *Candelæ votive accendebantur in sacris illis memoribus.* Candelæ votabunt enim præter sacrificia pecuina & humana, etiam *Can-delas*, quas Diis suis voverant. Germanos religiose hanc observasse consuetudinem ex Capitularibus Caroli M. discimus, qui detestandam hanc superstitionem gravissimè prohibuit. Videatur inter alia Capitulare, datum anno Christi 789. tom. I. p. 235. edit Baluz. *De Arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria, vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & destruantur.* Confer lib. VII. Capit. §. 316. Regino etiam de disciplina Ecclesiastica lib. II. p. 210. ex antiquis conciliis hujus consuetudinis memoriam nobis conservavit: *Si quis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam, quasi ad altaria faciat, aut ibi candelam, seu quodlibet munus deferat, velut ibi quoddam Numen sit, quod bonum aut malum possit inferre &c.*

§ XII. Vota

§. XII.

*Vota facie-
bant Ma-
iores nostri
ad arbores.*

Vota etiam ad arbores in lucis nuncupasse Majores nostros, ex innumeris Vett. locis constat, quæ opinio diu jores nostri admodum Germanorum animos infudit, nam Carolus ille M. hujus moris mentionem facit, qui inter Saxones nobilissimam Germaniæ gentem obtinuit, cum in Capitulatione de partibus Saxonie ita Trutmanno modum præscribit, quo coercendi hi sint idololatræ detestandis illis inquinati superstitionibus: *Si quis ad fontes (inquit §. 21.) aut arbores, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, & ad honorem Daemonum comederit, si Nobilis fuerit, solidos sexaginta, si ingenuus, triginta, si Litus, quindecim scil. componat.* Confer. Regino de Disciplina Ecclesiastica lib. II. p. 143. edit. Baluz. qui docet per tres annos pœnituisse illos, qui vota ad arbores fecerint: *Consulisti Magos, aut aruspices, aut incantatores, aut sortilegos, vel vota, quæ ad arbores vel ad fontes fiunt, vovisti, annos tres pœnitas.* Adde locum Reginonis, quem §. XI. dedimus.

§. XIII.

*Una arbor
præcellens
extra lu-
cum ali-
quando fuit
templo in-
star.*

Licet vero plerumque majores nostri, ut vidimus, in præcellens lucis sub opacis arboribus Diis suis religiosum cultum exhiberent, habebant tamen aliquando unam præcellensem arborem extra lucum, pari religione sacram, sub cuius umbra sacra facerent. Sic Langobardis, (genti germanicæ originis) una præsertim arbor erat, quam religiose colebant, & ad quam adorabant, cuius cultum Luitprandus Rex Langobardorum maxime prohibuit in legibus suis tit. 38. §. 1. *Simili modo, & qui ad arborem, quam rustici sanguinum (sacrivum potius cum Lindenbrogio legendum) vocant, & ad fontanas adoraverit, aut sacrislegium, vel incantationem fecerit, similiter medium pre-*

tii

tii sui componat in sacro palatio. Gallorum nonnulli me-
dio in evo unam arborem, *pinum* nempe, maximo cultu
prosequebantur, quam Martinus Episcopus Turonensis,
gravissime id ferentibus incolis, extirpavit, narrante Sul-
pitio Severo in Vita S. Martini c. 10. Borussi Veteres vari-
as habebant quercus, nulla alia arbore cinctas, sub qui-
bus immolabant, ut testatur Hartknochius. In Holsatia
inter Spreng & Blumenthal permagna olim visceba-
tur quercus, vulgo die *Schweeckeiche* dicta, quam ob
antiquam religionem Holsati maxime aestimabant, ut
ex Martino Coronæo refert Arnkiel lib I. c. 30. de Re-
lig. Cimbror.

§. XIV.

Nihil vero magis id Majorum nostrorum institutum, *Cujus mo-*
de colenda una arbore extra lucum, probat, quam illa ris vesti-
miræ magnitudinis quercus in Hassia nostra, Sec. II X. agium, in
Bonifacio extirpata; illam siquidem nullæ videntur cin-
xisse arbores, vel saltem paucæ, ut lucus dici non merue-
rit. Nam, neque Willibaldus, neque Othlonus in vita Bo-
nifacii quicquam hac de re memorant, quod tamen pro-
cul omni dubio fecissent, si variæ arbores ingentem il-
lam quercum circumdedissent. Sed videamus ipsum lo-
cum, in quo egregie depingitur Vett. Hassorum religio,
quem integrum hic dare, cum non in omnium manibus
sit Willibaldus, operæ pretium duxi. Tum vero, ait,
Hassorum jam multi catholicae fidei subditi, ac septiformis
Spiritus gratia confirmati, manus impositionem acceperunt.
Et alii quidem, nec dum omnino confortati intemeratae
fidei documenta integra recipere renuerunt. Alii etiam
lignis & fontibus clanculo, alii aperte sacrificabant. Alii
vero aruspicia & divinationes, prestigia atque incantatio-
nes occulte, alii quidem manifeste exercebant. Alii qui-

C dem

dem auguria & auspicia intendebant, diversosque sacrificandi ritus incoluerunt. Alii etiam, quibus mens sanior erat, omni abjecta gentilitatis profanatione nihil horum commiserunt. Quorum consilii atque consilio arborem quandam mirae magnitudinis, quæ prisco paganorum vocabulo appellatur *Robur Jovis*, in loco qui dicitur *Gicesmire*, Servis Dei secum adstantibus succidere tentavit. Cumque mentis constantia confortatus arborem succidisset, magna aderat copia paganorum, qui & inimicum Deorum suorum intra se diligentissime devotabant. Sed ad modicum quidem arbore praecisa, confessim immensa arboris moles divino desuper flatu exagitatur, & palmitum confractu culmine corruit, & quasi superni nutus solatio in quatuor etiam partes dirupta est, & quatuor ingentis magnitudinis aequali longitudine trunci absque fratribus, lignum ex supradictæ arboris metallo oratorium construxit, illudque in honorem S. Petri Apostoli dedicavit. Confer Othlonum de Vita Bonifacii lib. I. c. 22. qui eadem plane de hac arbore tradit.

§. XV.

Tria capita in verbis Bonifacii notanda. Tria hic præcipue notanda veniunt (1.) cur Willibaldus hanc quercum vocet *Robur Jovis*, & Othlonus *Arborem Jovis* (2.) quo anno quercus illa miræ magnitudinis destructa fuerit. (3.) Ubi olim steterit.

§. XVI.

Cur Willibaldus hanc quercum vocet Robur Jovis. Quod ad primum attinet, omnes norunt, Veteres rios haberent Deos, Deasque, cuilibet arborem dicabant. Sic

Sic Apollini Laurus, Herculi Populus, Veneri Myrtus, *tunc Jovis*, Minervæ Olea, sacræ erant. Jovi vero Dcorum Maximo quercum tribuebant, (quoniam etiam aliis Diis, vero Arbo Deabusque consecrata interdum fuerit) quia præsertim hic *rem Jovis.* Deus olim homines glandibus quercinis ante inventas fruges aluerit, prout optime monet Servius ex editione Fabricii ad Virgil. VI. Aeneid. v. 772. conferatur etiam Servius Danielis ad Virgil. I. Eclog. v. 17. Hinc Poetis nihil frequentius, quam quercum vocare *Jovis arborem*, ut Ovidius I. Met. v. 106.

Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

Jovis quercus dicitur a Virgilio Lib. III. Georg v. 332.

Sicuti magna Jovis antiquo robore quercus.

Unde & amica *Jovi* vocatur *quercus* a Claud. Lib. II. de Rapt. Proserp. v. 108. Promiscue vero hæc arbor vocatur *robur* & *quercus*, cum hæc glandiferarum species sæpe numero inter se confundantur, ut recte ad Solinum monuit Salmasius. p. 360. edit. Trajectina. Late autem patet tæ *roboris* significatio, nam in genere notat, *omne id, quod forte est*, ut ad Virgil. VII. Aen. v. 610. optimè notavit veterum Scholiastrum fere princeps Servius. Hinc videmus hanc vocem tribui variis rebus, quarum vis & fortitudo describenda est. Catullus Epigr. 65. lectissimos juvenes, qui cum Jasone expeditionem Argonauticam suscipiebant, vocat *Argivæ pubis robora*, i.e. robustissimos ex omni græca juventute. Dein & veteres quaslibet arbores durissimas appellant *robur*. Sic Papinius Lib. III. Sylv. Citros, ex quibus Romani elegantissimas mensas conficeré solebant, dixit *Massyla robora*, uti ad hunc locum observavit Cruceus. Plane eodem modo, quo Græci, quibus *Δέους* omnem arborem, omne lignum significabat. Et quia una præsertim glandiferarum species præ ceteris

durissima est, quam nos vulgo vocamus **eine Stein-**
eiche / ideo hanc speciem *robur* dixerunt, ac proin, non
discrepant inter se Willibaldus & Othlonus, licet diversa
nomina sacræ huic quercui imponant. Quæ a. vernacula
hujus religiosæ arboris fuerit denominatio, incertum est,
nam vocabulo latino quercum hanc *robur Jovis* dictam,
mihi non sit vero simile, siquidem nomen ex Vett. Ro-
manorum instituto ei indidisse videntur Willibaldus atque
Othlonus, ac proin hic abstinere malo, quam nugas
Lectori obtrudere.

§. XVII.

Destruitur Hæc arbor Jovis quo anno destructa fuerit, nunc
sacra illa inquirendum. Cum ad aures Bonifacii pervenisset in
quercus ^a Germania plurimos in crassissimis adhuc versari tenebris,
Bonifacio, & alienos a Christiana religione vivere, id negotium sibi
& quando? datum credidit, ut hos a falsis Diis ad verum Deum sua
opera perduceret. Quem in finem anno post C. N. 719.
primum in Germaniam venit, & Thuringis præsertim
explicavit Christianæ religionis fundamenta. Verum
cum in hac regione labor non ex voto succederet, rever-
titur in Frisiā, & Willibrordo hujus gentis Apostolo
per triennium adhæret. Hinc anno 722. se confert ad
Hassos nostros, & fidei mysteria illis, quotquot a Christo
alieni erant, aperuit. Dein anno sequenti se Romam
confert, & a Papa Episcopus creatur, licet nulli sedi tunc
a'ligatus fuerit. Cum vero injussu Caroli Martelli, qui
tunc temporis sub nomine Majoris Domus Regnum
Francorum administrabat, id negotium suscepisset, ac
proin forte varia impedimenta sibi obesse deprehendisset,
id Romæ præsertim egit, ut a Papa maxime huic Majori
Domus literis commendaretur, quibus instructus rever-
titur ad exorsum telam, anno scil. 724. quo partim illos
confir-

confirmavit, quos imbuerat Christianorum Sacrorum cognitione, partim novos cœtui Catholicorum adjecit. Sed deprehendit vanum esse omnem laborem, quem huic rei impenderet, quamdiu celeberrima illa & antiqua religione sacra quercus salva esset. Quamobrem statim hanc arborem ope Christianorum, imo & Monachorum, quos secum adduxerat, excidit, quicquid missitarent Pagani, qui non audebant huic Viro Sancto vim inferre, cum probe nosset eum esse in *mundiburdio* Caroli Martelli Ducis fortissimi, qui gravissime vindicaturus esset omnem injuriam, quam Bonifacio inferrent. Vid. Epist. 32. inter Bonifacian. Ergo anno post Christum Natum 724. hæc miræ magnitudinis arbor excisa fuit, cum iter Romanum perfecisset.

s. XVIII.

Restat igitur tertium disquisitionis nostræ caput, quod *In locum, ubi olim culta hæc arbor, inquiritur.* de quercus hujus sede agit. Locum ejus vidimus a Willibaldo vocari *Gicesmere*, ab Othlono vero dicitur *Gesneri*, quod nomen tribus in patria locis respondet, quæ nunc *Geismar* vocantur. Inquirendum itaque ad quam hæc arbor steterit. Primus locus, qui Geismariæ nomine gaudet, nunc urbs est, sita in præfectura Schoenenbergensi, & vulgo *Hoffgeismar* vocatur. Ad hanc urbem Majores nostros sub quercu Diis suis sacra fecisse, omnes tradunt recentioris ætatis scriptores, testesque domestici. Sic Dilichius id sine ulla hæsitatione Hofgeismariæ tribuit, quod Willibaldus de *Gicesmere*, vel Othlonus de *Gesmere* tradunt. Inspiciamus ipsa verba ejus, quæ profert in Chron. Hass. part. I. p. 143. *Jahrs 724. kahm Bonifacius gen Geismar/ warff daselbst nieder einen überaus grossen Baum/ welchen unsere Heyd- niçhe Vorfahren vor Jovem chreten/ und bauete an*

dieser Statt eine Capell in die ehre S. Petri. Nachdem aber deswegen von Jahren zu Jahren der Ort an Inwohnern zugewonnen / und Geismar aus einem Dorff zu einem Flecken gemacht / ist auch vor erwähnte Capell in eine grosse Kirche erweitert worden. Eadem narrat Winkelmann in Chron. Hass. part. II. c. 12. Merianus in Topographia Hassiae, Leznerus in Vita Bonifacii, Paulinus in peculiari de hac arbore disputatione, quam frustra inspicere laboravi, Editores Act. SS. Antwerpienses celeberrimi, ad Vit. Bonifacii, omnesque recentiores, qui de hac quercu mentionem faciunt. Verum etsi omnes in hanc sententiam conspirent, abs me tamen haec tenus impetrare non potui, ut ei subscribeam, cum illam incertis admodum fundamentis inniti deprehenderim. Nam prater solam nominum similitudinem, traditionemque popularem admodum fallacem, nihil in medium proferunt, quod ad probandam hanc sententiam faciat. Nec dici etiam potest, stetisse hanc arborem ad Geismariam, quæ in praefectura Francobergensi sita est, iisdem enim difficultatibus laborat, quibus Dilichii, ceterorumque. Id præsertim hujus conjecturæ auctoribus probandum foret ex ejusdem ætatis monumentis, Bonifacium unquam in harum viciis commoratum fuisse, nam Willibaldi vel Othloni testimonium nihil huc facit, quamdiu adhuc lis est, an eorum *Gesmery*, vel *Gesmeri* sit nostrum *Hoffgeismar*. Dein etiam ex intemeratae fidei scriptoribus, qui eo ævo vixerunt, ostendendum, existisse jam Bonifacii temporibus, vel Hoffgeismariam, vel aliam illam ad Francobergam, quamdiu enim id incertum, tam diu argumentum ex sola nominum similitudine depromptum vi sua caret.

§. XIX.

§. XIX.

Videamus igitur an tertiae Geismariæ magis conveniat Willibaldi de hac Jovis arbore historia, quæ sita in dioecesi Gudensbergensi ad auriferam Adranam, & vicus est hodie non ignobilis, quem Willibaldi *Gicesmere*, & Othloni *Gesmeri* esse, ex certis Vett. testimoniis nunc probandum erit. Quod ut ordine fiat, id ex antiquis monumentis efficiam, quod in superioris sententiæ aucto-ribus desideravi, I. in vicinia hujus Geismariæ saepe vixisse, Sanctum Bonifacium, II. existuisse jam illum vicum hujus temporibus. Quem cum ignoraret Serrarius, eum male confundit cum Hoffgeismaria lib. III. de Rebus Mogunt c. 19. *Est Geismaria in Hassia inferiore pagus quondam, urbs modo novitiis impurata opinionibus, qua a Lupo Servato Vitt. Wigbert. cap. 20. vocatur villa Geismari, & ad Schænenbergensem hodie toparchiam spectat.* Nam Lupi Geismaria Buraburgo proxima est, ut §. XXI. videbimus, Hoffgeismaria vero, quam in toparchia Schœnenbergensi sitam tradit, longe a Fiteslaria distat. Hæc autem monere volui, cum deprehenderim Exteros vicorum Hassiæ nostræ parum gnaros, in errorem a Serrario inductos fuisse.

§. XX.

Bonifacium Fiteslariæ, ac proin in vicinia Geisma-riæ nostræ, quæ vix M. P. distat, frequenter commora-tum fuisse, tam certum ex antiquis monumentis, ut in dubium vocari nequeat. Sic ædificavit Fiteslariæ Eccle-siam in honorem S. Petri & Pauli cum monasteriolo, cui ipse aliquot annis præfuit, ut suo exemplo vitam & mo-res juniorum formaret, vid. Willibaldum Vit. Bonif. c. 18. Othlon. I. c. 27. Dein jactis in his oris fidei funda-mentis, in Bajoariam abut, ut & ibi pravas de religione opiniones

Willibaldi
Gicesmere,
& Othloni
Gesmeri,
esse Geisma-
riam non
longe a Fri-
tislaria e-
vincitur.

Fitesla-
riam, & vi-
cina Geis-
marie loca
sæpe visua-
vit, imo in-
coluit Boni-
facius.

opiniones emendaret, in qua expeditione suscepit Sturmium nobilem puerum, Abbatem postea Fulensem, quem secum duxit Friteslariam, & Wigberto Abbatii sui monasterii commendavit, teste Eigile in Vita Sturmii, cap 2. Hic Sturmius postea iis imbutus artibus, quæ ju-niores Monachos decebant, auctore Bonifacio secessit in Eremum ad investigandum locum, qui novo monasterio exstruendo idoneus foret. Ex hac solitudine redux, S. Bonifacium convenit Fritislariæ, ut ex vita modo laudata c. 6. constat. Præterea etiam anno Christi 741. in vicino huic urbi & villæ Geismariæ monte Buraburgo erexit Episcopatum, cui Wittam seu Albuinum primum Episcopum præfecit, ut apud Othlonum videri potest. Ex quibus testimoniois luce meridiana clarius est, sèpissime Bonifacium visitasse hanc viciniam, gratamque ejus fuisse ipsi memoriam, quod hic primum seminarium religionis Christianæ in Hassia nostra posuerit. At de Hoffgeismaria, vel Geismaria non longe a Francoberga sita, nullum extat Vett. testimonium, ex quo effici possit, unquam in earum vicinia vixisse Bonifacium. Imo crassissimis tenebris duo hæc loca involuta sunt, cum nemo ex antiquis Scriptoribus, qui vel Bonifacii temporibus, vel paulo post vive-runt, illorum ullam faciat mentionem.

§. XXI.

*Geismaria
ad Adra-nam exsti-tit ja-m tempori-bus Bonifacii.*

Aliter longe sese res habet cum nostra Geismaria, posita ad Adranam, jam olim Romanorum ævo nobilissimum fluvium, quam eo ævo existisse, certissimum est. Non quidem multa meæ sententiæ argumenta in me-dium proferre possum, ob defectum, vel negligentiam ejus ætatis scriptorum, adducam tamen clarissimum testi-monium, quod omnino sufficit ad id demonstrandum, quod modo suscepimus. Suppeditat illud Lupus Abbas Ferr-

Ferrariensis, scriptor ejus ævi celeberrimus. Hic, cum in Monasterio Fuldensi, Schola tunc temporis omnium fere celeberrima, ex qua plurimi Viri eruditi prodierunt, studiis operam daret, auctore & suaſore Brunone Abbatे Herolfesfeldensi anno P. C. N. 836. Vitam S. Wigberti Angli, primi Abbatis Fritislariensis anno 747. demortui, & non longe post mortem Hersfeldiam translati, conscribere aggressus est. In hac vita narrat, Saxones, cum intellexissent Carolum in Italia cum suo exercitu bello Longobardico implicitum esse, Hassorum fines invasisse, ut ulscicerentur injuriam a Francis sibi illatam, quem in finem conatos fuſſe Monasterium a Bonifacio exstructum incendere, sed deterritos partim visione cœlesti, partim etiam in fugam conjectos a civibus, qui fortissimo animo eruptionem fecerant. Cum itaque irritum esse omnem suum conatum viderent Saxones, Ecclesiam S. Wigberti, quæ sita fuſſe videtur, ubi nunc *Fraumünſter*, expoliarunt, Sanctorumque reliquias secum abduxerunt, sed illæ *in villa Gesmari*, quæ non longe abest, repartæ sunt integræ, teste Lupo in Vita S. Wigberti c. 20. Ex clarissimo simulatque certissimo hoc loco constat hanc Geismariam jam anno 774. extitisse, quam non tunc demum exstructam fuſſe putandum est, nam *Villa* vocatur, i. e. locus ex multis ædibus constans, vicus, quo in sensu hæc vox a medii ævi scriptoribus accipitur, ut Du Cangius pluribus in suo Glossario docuit. Ergo sine ullo dubio jam Bonifacii temporibus clarus fuit hic vicus, ut ejus mentionem facere potuerint Willibaldus & Othonus. Nec moveat quemquam Willibaldi *Gicesmere* sono quam maxime a recentiori differre, quis enim ignorat corruptiones nominum priorum, varias pronuntiandi rationes vocum Barbararum, & mutationes

D

carum

earum per omnia secula. Optime id ex solo hoc vocabulo cognoscimus. Willibaldus Sec. II X. locum hunc *Gicesmere*, Lupus Abbas Ferrariensis Sec. IX. *Gesmari*, Othlonus Sec. XI. *Gesmere* vocat, ita ut, quo recentiores scriptores, eo magis cum hodierno pronuntiandi modo convenient.

§. XXII.

*Cur hanc
Viciniam
aliis Hassia
locis prætu-
lerit Boni-
facius.*

Cum itaque hæc villa locus fuerit ob quercus cul-
tum admodum celebris, eam viciniam præcipue sibi
elegisse videtur Bonifacius, quia ad illam ob religionem
sæpe confluere solebant Majores nostri., quos hac occa-
sione Christianis sacris imbuere poterat, non enim facile
detestandæ suæ superstitionis tenacissimi populi conve-
nissent ad audiendum verbum divinum, ni memoria sa-
cræ quercus ad hunc locum quasi compulisset. Nove-
rant id probe medii ævi Doctores, qui illis in locis, ubi
idola & fana gentilium steterant, templa excitarunt, ut
hac ratione adducerent populos ad Christianam religio-
nem, & ab omni superstitione averterent. Sic de S.
Amando legimus, quod Sec. VII. Monasteria & Eccle-
sias ædificarit, ubi fana destruxerit, ad quæ convenire so-
lebant incolæ ob antiquæ religionis memoriam, nec opta-
to caruit hoc cœptum effectu, cum plurimi hoc facto
Catholicam religionem amplecterentur. Gregorius M.
Papa Ecclesiæ Anglicanæ Doctoribus auctor est, ut in
Anglia fana paganorum mutarent in templo Christiano-
rum, cum id magis profuturum crederet operi, quod
suscepserant in convertendis his populis. Vid. Vita Gregorii
M. a Johanne Diacono scripta lib. II. c. 37. Imo ipse Bo-
nifacius hunc morem imitatus est, nam id partim constat
ex Willibaldo, qui eum in loco, ubi quercum extirpa-
verat, oratorium ædificasse tradit, partim ex Anonymo
Pres-

Presbytero S. Martini apud Trajectinos in Vita S. Bonifacii cap. i. quam nuper Celeberrimi Editores Act. SS. Antwerpenses ad diem V. Junii ex Ms. ediderunt. Hic claris verbis memorat, quod *in locis, a quibus supra dictas vanitates (idola) expulerat, illico monasteria inclita & basilicas eximias, altaria quoque divinis sacrificiis construxerit, ibique invocari instituerit nomen Dei vivi, ubi mortua Idola ab Indigenis eatenus colebantur.*

§. XXIII.

Hæc sunt, quæ de Arbore Jovis in patria nostra, atque loco ubi culta fuerit, dicenda habui, in quibus si a via aberraverim, vietas ei manus dabo, qui certiora in re maxime obscura monstrabit.



COROLLARIA.

I.

Carolum M. apud Gudensbergam Saxones sub Duce Wittekindo atrocissimo profligasse prelio, traditio est popularis, sed admodum fallax, utpote quæ omnibus ætatis Carolingicæ scriptoribus repugnat.

II.

Qui Mattii Capitis gentis nostræ vestigia in Marburgo quarunt, Tacito vim inferunt.

III.

Marburgum non aliunde nomen suum accepisse videntur, quam a rivulo, qui pedem Montis præterlabitur, & vulgo die Marbach vocatur. Qui enim a Mattiacis, quasi Mattenburgum, a cultu Martis, Martisburgum, a Cultu Mariae, Marieburgum, vel a Marcomiro, Marcomiroburgum, dictum volunt, nullum sive sententia argumentum, quod veri speciem habeat, proferre possunt.

D 2

Quan-

Quandoquidem nulli veniunt sine Marte triumphi:

Sic *Tibi* { Certandi
Vincenti } pulchra corona datur.

Gratulor ex animo: Superi Tua cœpta secundent,
Addant & meritis præmia digna Tuis.

*Ita pauculis hisce Pereximio, nec non Doctissimo
Dno. CANDIDATO, Cognato suo astu-
matissimo applandebat*

Intimè NotuS.

PALLADIS cultor cupiens honores
Arte condignos adipisci & amplos,
Semper è rivis *Clariis* liquores
Sedulus haurit.

Lectitat, scribit, meditatur, adstat
Aure Doctori, vacuisque nunquam
Membra dat strato residi nefandos
Nescit amores.

Nocte sub spissa *Tua Mens* latere
Sic nequit, doctas potius, mi *Amice*,
Excolis MUSAS monitus *Tuorum*.

More Parentum.

Ecce! tentantur *Tua docta Scripta*
Vera me fari: *Tua Musa narrat*
Ponte de celo Cathedræ Sophorum
Digna notatu.

Perge, sic aptus Studiis frueris
Laude MUSA RUM, pretium laboris
Jure non unquam moriturum habebis.

Gratulor ergo!

*Sic Doctissimo DN. CANDIDATO, Agnate
& Sympatriote suo animitus dilecto, pro
MAGISTERII GRADO disputanti vo-
lante calamo accinebat*

J. J. APPRELIUS, J.P. M.P. C.